

quarum prima initio de Juris sacris fontibus fusè tractat; dein legum ipsarum exsecutores considerat, seu doctrinam de ecclesiasticis personis et officiis exponit. Secunda pars XXXVI causas exhibet eo modo ordinatas ut priùs causæ seu facti circumstantias breviter exponat, dein Juris quæstiones, quæ exindè oriri possunt, proponat, postremo responsionis loco ipsas illas leges illaque ipsa monumenta adducat, quibus res conficitur. Occasione trigesimæ teritiæ causæ ad tertiam quæstionem prolixam lucubrationem de poenitentia inseruit, quæ proprii cujusdam libri speciem quodam modo, exhibet. Videtur Gratianus in hac re superiorum collectionum exemplum secutus esse, in quibus de poenitentia passim proprius, quidam ac integer tractatus invenitur (1). Tertia denique pars ea complectitur, quæ ad cultum divinum pertinent. Incertum est quale nomen auctor ipse suæ lucubrationi dederit (2).

Ad probationem omnis generis fontes adducit: canones scilicet apostolorum, canones conciliorum, decretales veras ac falsas, loca ex patribus, ex tribus libris poenitentialibus (3), ex Libro diurno et ordine romano, ex Jure romano, et Francorum capitularibus, ex ipsis denique historicorum libris. Canones græcos vulgò ex hispanica versione habet, quàm ex Anselmi Lucensis et cardinalis Deusdedit collectionibus, quas ad suam compilationem adhibuit, ipsum hausisse verosimillimum est. Multa tamen loca juxta dionysianam versionem adduxit, quo patet Ivonis quoque ac Burchardi collectiones ipsi inseruisse (4). Nec antiquioribus secundum temporis seriem digestis collectionibus usus esse videtur; quod siquidem fecisset, eandem in omnibus versionem secutus esset (5).

Gratiani proindè lucubratio, si ipsam tanquam collectionem consideremus, ab anterioribus quoad præcipua capita non differt, nisi illam ob copiosorem, quàm fortè continet, materiam cæteris præferre velimus (6).

necon ex tribus scholæ dignitatibus desumptam esse autumat. Ejusmodi tamen inventa ne refutationem quidem merentur. Nec minus arbitraria ac falsa dicunt ii qui Gratianum Justiniani institutionum partitionem imitatum fuisse credunt: nimis exigui enim momenti tunc temporis doctorum in institutiones prælectiones habebantur, ut hujusmodi artificiosæ, ut ita dicam, systematis constructioni occasionem dare potuissent.

(1) Sartius contendit, hanc lucubrationem a Gratiano primitùs separatim editam, atque forsan in scholis quoque adhibitam fuisse, quàm serius dein majori collectioni inseruit.

(2) Glossatores, si loca ex Gratiano adducunt, citant: in decretis. Eodem modo citat Alexander III [1130] in cap. 4, de despons. impub. [4, 2]. Serius hæc collectio discordantium canonum concordia appellatur, et XII jam sæculo creditum est, hoc nomen ab ipso auctore provenire. Vide Savignium in Historia Juris rom. medii ævi. Obstat tamen, quod in antiquissimis ac cœvis propè codicibus, Sartio teste, hoc nomen non inveniatur. Serius adhuc decretum nominata est.

(3) Eosdem poenitentiales libros Burchardus quoque adhibuit, romanum scilicet, dein illum, qui Theodoro cantuariensi et alterum, qui Badæ tribuitur.

(4) Ex eo, quod Gratianus diversas adhibuerit collectiones, apparet, qua de causa aliquando eosdem omninò canones in uno loco ex versione Dionysii, in alio ex hispanica adducat, ex gr. conc. nicæn. c. 17 [c. II, D. XLVII, et c. 8, XIV, 9, 4], conc. laodic. c. 12, c. 4, d. XXIV, et c. 6, d. LXI].

(5) Contrarium tenet Sartius, eo quod Gratianus quædam Burchardi et Ivonis inscriptionum menda correxerit. At veras illas inscriptiones Gratianus indubitatè ex Anselmo aut Deusdedit desumpsit.

(6) Erroneum proindè est, si Gratianus in hac lucubratione particulares fines habuisse dicatur, ac si exempli gratia neglectum Juris canonici studium erigere, aut canonum collectionem Justiniani collectionibus opponere voluisset, in quas tunc temporis summo ardore lucubrationes edebantur. Jus enim canonicum nullo sanè modo neglectum erat, multoque minus collectiones deerant.

Nec ipse solus erat, qui suo tempore ejusmodi opus aggredere; cum anno 1182 cardinalis Laboranus collectionem ediderit, quæ Gratiani collectioni quoad materiam simillima erat. Dividitur hæc collectio in libros sex, quorum singuli plures partes, cæque titulos aut rubricas habent, in quas loca ipsa disposuit. Integros viginti annos auctor in hoc conficiendo opere insumperat (1).

XXXIX. In Anglia ampliores quidem collectiones nullæ, compendia verò plura adornata, quæ Episcoporum in Francorum regno capitulis simillima erant. Huc pertinent decreta ad sacerdotes Umbriæ septentrionalis directæ, verosimiliter inter annum 949 et 952 edita (2); canones tempore Edgari circa annum 960 conscripti, in quibus plura de re poenitentiali habentur (3); dein canonum de reformatione cleri (4) compilatio, quàm circa annum 970, Ælfricus monachus pro Wulffino Episcopo confecit, aliæque ab eodem, anno circiter 994, editæ leges ecclesiasticæ (5), quæ tamen nihil aliud esse videntur, quàm Theodulphi aurelianensis capitulorum in linguam Anglosaxonum versio.

Cæterum reges quoque in comitis plures ediderunt leges (6), quibus Ecclesiæ disciplinæ non parum roboris additum fuit. Earum præcipuæ sunt: Alfredi Magni (871-901) leges; ipsius cum rege Danorum Guthurno pactum, quod dein sub Eduardo seniori iteratum fuit; plura Æthelstani (a. 928 et Edmundi (a. 944) decreta; prima legum Edgari (a. 967) pars, cum suo tempore leges de rebus ecclesiasticis et civilibus ab invicem separari, atque in duas partes distribui cœpissent; liber item constitutionum Æthelredi (a. 1008); decreta comitiorum Ænhamensium (a. 1009); leges Æthelredi ecclesiasticæ (a. 1014); constitutio de pace Ecclesiæ (a. 1014); denique legum Canuti (7) Magni (a. 1023). Prima pars Ecclesiæ disciplina hisce legibus invecta sub regibus normanis, qui (a. 1066) Angliæ regnum occuparunt; magis adhuc stabilita fuit; quod patet ex legibus Gulielmi Victoris (1066-85); ex compilatione Eduardi confessoris, quæ tamen tempore Gulielmi II (1087-1100) confecta est (8); necnon ex instrumentis, quæ Henricus I (a. 1116), Stephanus (a. 1136) et Henricus II (a. 1055) de libertatibus anglicanæ Ecclesiæ ediderunt. Antiquiores tamen lingua anglosaxonum conscriptæ collectiones seriùs non ampliùs adhibebantur, cum omnes ferè sedes Episcopales normanis præsulibus providerentur. Quo factum est ut in Angliam Burchardi quoque et Ivonis atque Gratiani collectiones inveherentur.

In Dania, Suecia, Norvegia et Islandia proprii etiam Juris canonici fontes orti sunt, quos tamen melius cum sequentis ævi fontibus afferemus. Pro Hungaria Ste-

(1) Prima codicis manuscripti, in quo hæc collectio habetur, notitia exstat in Sartii opere de clar. archigym. Bonon. profess. tom. I, p. I, p. 248. Fuscæ, quin tamen notitiam hanc apud Sartium cognovisse videatur, codicem ipsum descripsit: Zaccaria, dissert. latin. de rebus ad histor. atque antiq. Ecclesiæ pertinentibus [Fulginiæ 1761, 4], tom. II, Diss. XIV.

(2) Habentur in Wilkins, Conc. britann. tom. I, p. 218-221. Mansi, Conc. t. XIX, col. 67-70.

(3) Apud Wilkins, Conc. britann. I, 225-229; Mansi, Conc., tom. XVIII, col. 514-226.

(4) Apud Wilkins, Conc. britann., tom. I, 250-255.

(5) Apud Wilkins, Conc. britann., t. I, p. 265-282.

(6) Habentur in collectionibus superius citatis, a Wilkins et Canciano editis. Plurima habentur etiam in Wilkins et Mansi, Collect. conc.

(7) Nova editio apparuit cum titulo: Legum regis Canuti Magni, quas Anglis olim dedit versionem antiquam latinam ex colbertino codice variantibus lectionibus atque observationibus additis cum textu anglosaxonico edidit, I, L. a Kolderup-Rosenvinge, Hauniæ, 1628, 6.

(8) Plura de hac re vide in G. Philips englische Reichs und Rechtsgeschichte [i. e. historia regni ac jurium Anglorum], Berlin, 1827, 8, c. XXV.

phani I (c. a. 1016), Andræ (c. a. 1048) et Colomani (c. a. 1103), leges magni monumenti erant (1).

## ARTICULUS IV.

JURIS CANONICI FONTIUM HISTORIA A GRATIANO USQUE AD CONCILIUM TRIDENTINUM.

## ARGUMENTUM.

A. *Ecclesiæ status*, § XL. B. *Juris fontes in Oriente*: 1 *Ecclesiæ græcæ*, § XLI, 2. *Ecclesiæ rhenanæ et serbicæ*; § XLII. C. *Juris canonici indoles in Occidente*: 1. *novi fontes communes*, § XLIII; 2. *lucubrationes scientificæ*: a. *earum indoles*, § XLIV; b. *lucubrationes in Gratiani decretum*, § XLV; 3. *novæ legum ecclesiasticarum collectiones*: a. *ante Gregorium IX*, § XLVI; b. *post Gregorium IX*, § XLVII. 4. *opera de Jure canonico*, § XLVIII; 5. *fontes particulares in Germania*, § XLIX; 6. *fontes in Gallia, Anglia et Hungaria*, § L; 7. *fontes in regnis septentrionis*, § LI.

## XL.

Sæculo XIII et XIV ultimi gentilium septentrionis populi, Prussiani scilicet et Lithanii, tum occupatione, tum prædicatione ad Christi fidem conversi sunt; Rhenorum e contra principes anno 1240 a Tartaribus subgebantur.

Græcorum cum Latinis disputationes sæculo XII, magno cum ardore continuabantur, quamvis imperatores e Comnenorum familia unioni quam maxime faverent. Gregorio X dein Pontifice Græci in II lugdunensi concilio concordiam inierunt, quæ tamen post breve X annorum spatium iterum rupta est. Cum verò sæculo XIV Turcarum incursionibus valde premerentur Græci, denuò ad Ecclesiam redire tentarunt; ipsique patriarcha a. 1367, et imperator a. 1369 hac de causa Romam venerunt; at populi ac monachorum resistentia omnia tentamina inutilia reddidit. Feliciorem exitum hoc unionis negotium in concilio prius Ferrariæ (1438), dein Florentiæ (1439) sub Eugenio celebrato, habere videbatur. Advenerunt enim imperator Joannes Palæologus et patriarcha Josephus, magno uterque stipati comitatu; disputaverunt doctissimi ex utraque parte viri de singulis in controversiam adductis: ipsa denique græcæ et latinæ Ecclesiæ unio solemniter legitimèque decreta est. At mortuo post breve tempus patriarcha Josepho, reversique in patriam Græcis, patriarcha recens electus cum maxima Episcoporum parte iterum ab Ecclesia discessit. Ex indè Græcorum aliqui cum Ecclesia conjuncti, alii schismatici distinguuntur. Occupato dein a Turcis orientali imperio (1453) externæ quidem Ecclesiæ institutiones conservatæ sunt, sed sterilis prorsus et exanimis ipsorum Ecclesia remansit. Interim Rheni an. 1481 a Tartarorum jugo sese liberarunt, et in Hispania ultimum Maurorum seu Arabum granatense regnum a Ferdinando I a. 1493 subactum est.

XLI. Eadem, quæ priori sæculo apud Græcos adhibitæ sunt canonum collectiones, continuò in usu retinebantur; variis tamen modis synodalibus patriarcharum decretis, canonicis Episcoporum litteris ac quæstionum decisionibus, tractatibus, nec non imperatorum legibus auctæ ac compilatæ sunt (2); plura quoque

(1) In collect. Conc., Mansii.

(2) Leunclavius plura horum monumentorum, anteriorum quoque temporum, in prima sui

appendicis loco, nulla selectus aut ordinis habita ratione, collectionibus addita sunt. Cæterum nec eæ deerant compilationes, quæ fontes in certum ordinem tributos exhiberent. Sic Arsenius in monte Athos monachus a. 1255 sinopsim conscripserat, quàm tum ex receptis canonum collectionibus, tum ex ea collectione compilavit, quæ 87 capitula continet, de qua superius (§ XII) mentio facta est (1).

Celebre evasit syntagma circa a. 1335, a Matthæo Blastari editum. Tributum est in capita nunc breviora, nunc longiora, quæ ordine alphabetico ita disposita sunt, ut cum unaquaque littera nova numerorum series incipiatur. In singulis capitibus principio legum ecclesiasticarum, dein civilium synopsis habetur; harum tamen fontes indicati non sunt, nec proindè certò indicari possunt. Leges verò ecclesiasticæ ex consuetis canonum collectionibus desumptæ sunt (2). Plures hujus syntagmatis codices manuscripti appendicem continent, in qua plures tunc recepti breviores tractatus ab ipso forsàn blastare collecti sunt.

Serius circa a. 1350, *Constantinus Harmenopolus* Juris ecclesiastici epitomem in VI capita tributam conscripsit, ad quam adornandam Photii a Zonara mutam collectionem (§ XXXIII), omissis tamen nonnullis locis, adhibuit (3).

XLII. Apud Rhenos, licet eorum principes Tartarorum imperio premerentur, tam parum in Ecclesiæ constitutione mutatum est, ut potiùs novæ in dies Juris fontes illis accederent, qui jam recepti erant, quosque superius jam annotavimus (§ XXXV), Græcæ canonum collectionis versio a Cypriano (an. 1406), Moscoviæ metropolita, ut fertur, confecta (4), et Blastaris quoque syntagma slavonice redditum est. In conciliis particularibus plura constituta sunt, quibus fori usus stabilitus ordinatusque est, et magnum emolumentum Ecclesiæ ex illis litteris accessit, quibus Tartarum duces ipsius jura ac libertatem tuebantur.

In serviæ regno propria quædam collectio orta est, quæ in paucis tantummodo codicibus manuscriptis ad nos pervenit. Continet Jus canonicum ex græca quadam compilatione desumptum, cui civiles imperatorum græcorum, nec non regis Duschani 21 Maii anni 6857 (1349) editæ leges subduntur (5).

XLIII. Brevi temporis spatio plura in Occidente œcumenica concilia, quantum scilicet lateranense (1215), primum et secundum lugdunense (1245, 1274) et viennense (1311), celebrata sunt, in quibus absolutis iis, quæ temporum circumstantiæ, hæreses præsertim pullulantes et exercituum in terram sanctam profectio-nes, exigebant, generales leges editæ sunt, quæ maximi pro disciplina ecclesiastica momenti erant. Orto verò deindè, sæculo XIV ad finem vergente, funesto illo, quod Occidentis Ecclesiam per longum tempus discerpebat, schismate, magna in omnes ferè ecclesiasticæ disciplinæ partes perturbatio, abusus multi et arbitraria agendi ratio irrepserant. Plura de reformanda Ecclesia decreta tum in pisano,

operis parte collegit. In secundo siquidem libro habet novellas imperatorum de rebus Ecclesiæ, in tertio synodalia Patriarcharum decreta, in 5, 6, decisiones et alia hujus generis.

(1) Excusa est apud Justellum, t. II, p. 947-84. Arsenii Chartophylacis syllogem, et secundam canonum collectionem memorat Nicolaus Comnenus in prænotion. mystagog. ex jure canon., p. 102, 210, 219.

(2) Habetur hoc syntagma apud solum Beveregium P. II, P. II. Ipsius partem, quæ verosimiliùs separatim descripta est, exhibuit Leunclavius in Jure græco-rom., t. I, lib. VIII.

(3) Apud Leunclavius in Jure græco-rom., t. I, lib. I.

(4) Plura habet de hac versione Biener in op. de collect. can. Eccles. græc., p. 58.

(5) Hujus collectionis notitiam dedit Kopitar in den Jahrbüchern der Litteratur (id est, in Annalibus litterariis vindebonensibus) vol. XXXIII (Wien. 1826), p. 290.

tum in constantiensi concilio proposita sunt, quæ in sequentibus conciliis executioni demandari debebant. Qua de causa Eugenius IV concilium Basileæ convocavit, quod tamen post primam jam sessionem ab eo descivit. Dein quidem post decimam quintam sessionem a Pontifice tanquam legitimum agnatum est; mox verò novæ lites insurrexerunt, quibus permotus Pontifex concilium post XXV ejus sessionem Ferrariam transtulit, ibique a. 1438 novum aperuit, quod Florentiæ dein a. 1439, continuatum atque ab universa Ecclesia tanquam verum et œcumenicum agnatum fuit. Nihilominus schismatica basileensis synodus, in suis laboribus persistens, primo sess. XXXI constantiensia decreta de œcumenicorum conciliorum auctoritate innovavit; dein, Eugenio exauctorato, Amadeum Sabaudie ducem nomine Felicis V (1439) Pontificem creavit. Eugenius interim Florentiæ de uniendis cum Ecclesia Græcis allaboravit, reque feliciter confecta, basileense demum concilium a. 1443 dimissum est, et Felix V antipapa propria voluntate pontificalem dignitatem deposuit (1). Circa finem hujusce periodi, ab anno scilicet 1512 ad a. 1517, concilium lateranense V celebratum est, quod inter œcumenica numerari debet, quamvis in Gallia œcumenicum non habeatur (2).

XLIV. In Occidente circa medium undecimum sæculum novus prorsus ac omni ex parte huic tempori proprius, in hominum animis excitatus est ardor, qui mox in scientiarum etiam tractatione sese manifestare, ipsasque in novam formam redigere cœpit. Tanquam præcipuum ad eum nutriendum propagandumque medium scholæ sese offerebant, quæ jam ab antiquioribus temporibus tum ad ecclesiasticas, tum ad humaniores scientias tradendas institutæ, hucusque parum, aut saltem non tam apertè scientiarum culturam promoverant. Eminebant præ cæteris scholæ, quæ Parisiis et Bononiæ habebantur; in illas siquidem urbes ex omnibus penè Europæ regionibus juvenes confluebant, qui cognitis et perspectis utriusque Juris collectionibus, quæ tunc in usu erant, in patriam reversi, scientiam, quam erant adepti, qua scriptis, qua advocatorum aut judicum munere fungentes, ubique diffuderunt. Sic denique factum est, ut scholæ illæ, quas universitates nunc vocamus, Juris scientiæ quasi emporia efficerentur, atque doctorum opiniones, quæ ibi receptæ erant, tanti pro tota ferè Europa momenti essent, ut meritò dixeris legum auctoritati novam scholæ auctoritatem accessisse, qua ipsa legum ferendarum ratio dirigeretur, vastaque ipsarum materies uniformi concordia conservaretur.

XLV. Tempore, quo Gratianus decretum suum evulgavit, Bononiæ legum civilium doctorum schola in magna hominum æstimatione fuit, operisque ipsius utilitas ac præstantia effecit, ut quamprimum, imò forsitan ab ipso jam Gratiano, publicè decretum explicaretur. Sic una cum hac compilatione schola quoque ad illam explanandam ortum habuit, quæ illi ob ipsam suam præstantiam, quin ulla alia indigeret commendatione (3), in universa ferè Europa æstimationem auctori-

(1) Vide de conciliis pisano, constantiensi, basileensi, quæ dicunt Devoti Juris canonici universi, tom. I, cap. V, § 121 et seq., et Muzzarellius de auctoritate rom. pont. in concil. generalibus, tom. II, cap. XVII, p. 362, edit. gandavensis.

(2) Galli hoc concilium œcumenicum reputare recusarunt, quia senatus et academia parisiensis, approbante clero gallicano, eo quod ab isto concilio pragmatica sanctio abrogata, et in illius locum substituta fuerint pacta Leonem X inter et Franciscum I, conventa, futurum concilium appellarent. At cum a rom. pontifice convocatum, eo præside celebratum ac denique confirmatum fuerit; cum omnes quoque Episcopi ritè convocati essent, licet plures, maximè Galli non asuerint, œcumenicum omninò reputari debet.

(3) Refert quidem calendarium bononiense decretum ab Eugenio III approbatum atque om-

tatemque conciliavit. Qui illud explicarunt, *magistri*, primum seriùs *doctores decretorum*; discipuli verò *canonistæ*, *decretistæ* aut *decretalistæ* appellabantur. (1). Scriptis quoque isti doctores Gratiani collectionem illustrarunt, quorum præcipua pars *glossæ* erant; illæ scilicet annotationes, quas quisque textus volumini ea mente adscripserat, ut instar aliorum librorum descriptæ divulgarentur (2). Breves initio fuere glossæ, ita ut spatio, quod duas lineas intercedebat, describi possint; dein ad ampliores explicationes excrescentes margini quoque inscribebantur; quo factum est, ut continui ejusdem comentarii formam induerent. Commentarius hujusmodi a quodam Juris doctore ad universum textum explanandum conscriptus, *apparatus* nominabatur, qui superiorum quoque auctorum glossas comprehendere solebat. Seriùs hujusmodi textus explanationes, meliori ordine ac connexionelaboratæ, et *commentaria* appellatæ sunt.

Gratiani discipuli aut successores, qui primi Bononiæ decretum explicarunt, breves tantum ac interlineales glossas scripsisse videntur. Ex eorum numero erant Paucopalea, Omnibonus, Sicardus, Angaldus et alii (3). Diffusiores glossas scripsere Rufinus, Silvester, Joannes Faventinus, Joannes hispanus, Petrus hispanus, Stephanus turnacensis et alii; eorum tamen glossæ aut typis nondum editæ, aut ex posteriorum solummodo apparatus notæ sunt. Magnus, nondum verò editus commentarius, sub nomine, *Summæ decretorum*, ab Hugucione de Pisa incæptus, eoque mortuo (1210), a Joanne de Deo completus est. Joannes deniquè teutonicus (c. a. 1212) apparatus in decretum conscripsit, qui postea (c. a. 1236) a Bartholomæo de Brescia auctus atque emendatus, eadem, in quàm ab ipso redactus est, forma in illas editiones, quas typis excusas habemus, receptus est.

XLVI. 1. Mox post Gratianum novis œcumenicorum conciliorum decretis ecclesiasticum Jus auctum fuit; multæque in dies ob maximam, qua sedes apostolica pollebat, auctoritatem decretales alteriusque generis litteræ edebantur. Omnes hæ constitutiones sub nomine *extravagantium* comprehendebantur, quod extra receptas Juris collectiones vagarentur. Cum tamen ipsarum numerus nimium excrevisset, novæ collectiones necessariæ visæ sunt. Prima, quæ edita fuit, in LXV titulos tributos canones tertii lateranensis concilii, et Pontificum, Alexandri III præsertim, decretales continet. Recentiores decretales, quas exhibet, ab Urbano III (an. 1187) editæ sunt (4).

2. Alia successit collectio in L partes distributa, quarum prima lateranensis concilii canones, cæteræ decretales Pontificum, recentissimas a Clemente III (1191) editas comprehendunt (5).

ni modo commendatum fuisse; at supposititium esse illud calendarium eruditi omnes consentiunt. Vide Savigny Geschichte des romischen Rechts in Mittelalter [hist. jur. rom. in medio ævo], tom. III, p. 8-10.

(1) Promiscuè ad eandem rem significandam adhibita fuisse illa vocabula probat Savigny in opere cit., t. IV, p. 477.

(2) In quoniam conveniat glossæ istæ scripto exaratæ cum aliis, quæ in scholis doctoribus docentibus a discipulis describerentur, dilucidè exponit Savigny in op. c. t. III, c. XXIV.

(3) Accuratissimè de his aliisque glossatoribus scripsere Maurus Sartius [a. 1766] et Marcus Fattorinius [a. 1789], Camaldulensium abbates, in libro jam sæpiùs citato. Plura de ipsis aliisque, qui de hac re consuii possunt, habet Savigny in op. cit. t. III, c. XVII.

(4) Edidit hanc collectionem I. H. Boehmerus in sua corp. Jur. canon. editione, t. II, append. col. 181-340.

(5) Habetur hæc collectio in collect. conciliorum a Mansio adornata, t. XXII, col. 243-454.

3. Eodem ferè tempore Bernardus papiensis (a. 1213), Romæ et Bononiæ celebrer, *breviarium extravagantium* conscripsit, in quod tum ea, quæ ex antiquioribus Juris monumentis Gratiani diligentiam effugerant, tum RR. PP. decretales ab Alex. III, ad Clementem III usque (1) recepit, et singula capita, habita ratione materiæ, in titulos rubricis inscriptos, titulos in quinque libros, qui inscriptione carent, distribuit. Hæc collectio, ad instar Justiniani codicis compilata, simul cum Gratiano in schola bononiensi adhibita, glossis illustrata, ac quod prima extravagantium collectio esset, quæ in schola recipiebatur, *compilatio prima* nominata est.

4. Collectiones a Gilberto et Alano adornatæ a schola non fuerunt receptæ, brevique interciderunt.

5. Novam ex iis, ut fertur, sæculi XIII initio absolvit collectionem *Joannes gallensis*, qui eundem ordinem, ac Bernardus secutus, Pontificum decretales ad Cælestinum III usque complexus est, easque in libros V et titulos distribuit. A schola recepta, et glossis aucta, *liber secundus decretalium* seu *secundæ decretales* appellabatur (2).

6. Bernardus major archidiaconus compostellanus, Innocentii III Pontificis (1198–1216) decreta, quæ duodecim prioribus ipsius pontificatus annis edita fuerant, collegit; atque hæc collectio *romana compilatio* ideo aliquandò appellata est, quod Romæ et ex monumentis ex hujus urbis archivis extractis, confecta sit. Verum nullam auctoritatem adeptæ hæc collectio, nec typis excusa unquam est (3).

7. Non minus rejecta est collectio, quàm Reinerius diaconus et monachus pomposianus ex Innocentio III regestorum libris tribus prioribus adornaverat (4).

8. Dein Innocentius III ipse Petro beneventano curam demandavit, ut ipsius hucusque editas constitutiones colligeret, et collectionem Bononiæ misit, ubi recepta glossis, præcipuè a Tancredo, illustrata est (5). Atque hæc quidem ex cæteris decretalium collectionibus prima est, quæ Pontificis auctoritate prodiit, *tertia* verò earum quæ Bononiæ agnoscebantur.

9. Tertiam hanc collectionem brevi subsecuta est *quarta*, cujus incertus est auctor, quæque continet concilii lateranensis IV canones, et anno 1210 posteriores Innocentii III decretales. Glossas præcipuas in hanc compilationem conscripsit Joannes teutonicus (6).

10. Honorius III (1217–1227), Innocentii III successor, suas quoque decretales

(1) Hoc breviarium simul cum aliis tribus decretalium collectionibus primò typis excusum est Herdæ, anno 1576, quàm editionem Ant. Augustinus ejusdem urbis Episcopus adornavit. Novam dein, auctam et emendatam editionem vulgavit Ph. Labbæus hoc titulo: *Antiquæ collectiones decretalium cum Antonii Augustini Episcopi ilerdensis et Jac. Cujacii Ic. celeberrimi notis et emendationibus*, Parisiis, 1609, fol., I. A. Riegger comparatione cum Gregorii IX, decretalibus instituta, illud edere incœpit; Bernardi præpositi papiensis breviarium extravagantium cum Gregorii IX decreto collatum, p. I, Friburgi, 1779, 4.

(2) Hæc collectio secunda est ex illis, quæ in citatis Augustini et Labbæi collectionibus inveniuntur.

(3) Fragmentum libri primi habetur in editione parisiensi operis. *Antiquæ collectio. decretal.*, p. 721–730. Mansius commemorat. collectionem sub Innocentio VIII, confectam, quæ tertio tomo miscellaneorum Baluzii novæ lucensis editionis inserta est. *Conc. t. XXI*, col. 1107.

(4) Edita est hæc collectio a Baluzio in opere, cui titulus: *Epistolarum Innocentii III, rom. Pont. libri undecim* (Paris, 1682, III, vol. fol.), tom. I, pag. 543–606.

(5) Hæc collectio tertia est in Augustini et Labbæi collectione.

(6) Cum his glossis habetur hæc collectio apud Augustinum.

in unum collectas Bononiæ ad Tancredum archidiaconum misit, ut ibi in schola legerentur. Est hæc *collectio quarta* (1), eaque similiter ac duæ superiores sedis apostolicæ auctoritate evulgata. Mox tamen hæc collectio alteri a Gregorio IX editæ cessit, nec ab alio quàm a Jacobo de Albenga Episcopo faventino glossis explicata est.

XLVII. Cum rom. Pontificum decretales litteræ in tam diversis dispersæ essent collectionibus, a Gregorio IX, S. Raymundo de Penhafort, rotæ auditori ac pœnitentiario, demandatum fuit, ut ex quinque receptis compilationibus et ex constitutionibus, quas ipse hucusque ediderat, novam conficeret, quæ dein, trium annorum spatio absoluta, anno 1234 ad universitates bononiensem et parisiensem transmissa et evulgata est. Ex litteris, quæ collectioni præfixæ sunt, apparet, pontificem ipsi legis auctoritatem tribuisse, ac jussisse, ne aliæ posthac collectiones foro ac scholis adhiberentur, nec novæ sine speciali Pontificis consensu conficerentur. Ad aliarum collectionum imitationem in V libros ac plures titulos distributa est. Apparatus ac glossas in eam conscripserunt Vincentius Hispanus, Goffredus transiensis, et præcipuè Sinibaldus Fliscus, qui postea Innocentii IV nomine solum Pontificium ascendit. Quorum opera usus Bernardus de Botono parmensis (a. 1266) magnum illum apparatus adornavit, qui nulli alii in posterum cessit.

Prodierunt deinceps brevi tres aliæ collectiones, quæ omnes Pontificis auctoritate compilatæ, atque universitatibus transmissæ sunt. Prima est Innocentii IV (1243–54), concilii lugdunensis primi et hujus Pontificis constitutiones complectens (2), atque ab Henrico cardinali Ostiensi glossis illustrata. Altera sub Gregorio X (1271–76) in concilio II lugdunensi edita, ejusdem solummodo concilii decreta complectitur (3). Tertia denique (4) Nicolai III (1278–80) tantum decretales continet. In eum finem istæ collectiones instituebantur, ut Gregorii IX decretalibus adjungi possent, idèdque singula ipsarum capita in illas tributa jam erant rubricas, sub quibus collectioni gregorianæ addi debebant. At Bonifacius VIII (1293–1303) tum ex illis, tum ex antiquioribus quibusdam, suis etiam comprehensis constitutionibus, novam prorsus collectionem evulgavit, quæ, tanquam quinque Gregorii IX librorum supplementum, *liber sextus* nominata, et Romæ a. 1298 in cardinalium consistorio approbata, Parisios ac Bononiæ missa est. Divinitur itidem in quinque libros, et a Guidone de Baysio, Joanne monacho pictaviensi (a. 1313), Zenzelino de Cassanis et Joanne Andreæ (a. 1343) glossis et apparatus explicata fuit. Post hanc collectionem aliæ Bonifacii VIII et Benedicti IX (a. 1304) decretales editæ sunt, quæ singulæ a dicto Joanne monacho glossis illustratæ, nunquam verò pontificis auctoritate collectæ sunt.

Clemens V e contra partim ex suis epistolis, partim ex decretis concilii viennensis (1311) novam decretalium compilationem absolvit, quàm ipse anno 1313 in cardinalium consistorio publicavit, et aurelianensi universitati; Joannes verò XXII,

(1) I. A. Riegger diss. de collectione decret. Honorii III (in opusc. p. 221). Quinta compilatio epistolarum decret. Honorii III, pont. max. nunc recens e tribus vet. manuscriptis in lucem edita et notis illustrata studio et industria Innoc. Cironii. Tolosæ, 1645, fol., novam editionem curavit I. A. Riegger in edit. op. Cironii.

(2) Edita est hæc collectio in Boehmeri corp. jur. can. edit. tom. II, app. pol. 349–68. Littera, quæ ad bononiensem scholam mittebatur, habetur apud Sartium in op. cit. t. I, p. II, 224.

(3) Habetur in conciliorum collectionibus. Varias lectiones collegit Boehmerus in corp. jur. can. t. II, app. col. 369.

(4) Habetur cum glossis uberrimis simul cum duabus anterioribus in codice bibliothecæ erlangensis, qui et litteras ad parisiensem scholam exhibet. Gluck præcognita uberiora, p. 368.

proximus ejus successor, publica auctoritate donatam a. 1317 Bononiam ac Parisios transmisit. Hæ constitutiones, *clementinae*, a compilationis auctore Clemente V, vocatae, eodem ac aliæ modo et ordine collectæ, nec non a Joanne Andrea glossis explicatae sunt, quas postea Franciscus Zabarella (a. 1417) emendavit.

Extravagantes constitutiones, quæ post illam collectionem edebantur, non amplius publica auctoritate collectæ sunt, sed earum instar quæ confecto libro sexto usque ad Clementem prodierunt, separatim descriptæ ac glossis dilucidatæ sunt (1). Hujusmodi glossas conscripserunt Gulielmus de monte lauduno (a. 1346) in tres extravagantes a Joanne XXII a. 1317 editas, Zenzelinus verò de Cassanis (1325) in XX ejusdem Pontificis constitutiones ab a. 1316 ad a. 1323 evulgatas, quæ postremæ, comprehensis earum numero et illis tribus, parvæ collectionis speciem præ se tulerunt, Aliæ a Joan. Franciscus de Pavinis (a. 1466) interpretatæ sunt; multis verò nullæ omnino glossæ accessere. Extremo igitur decimo quinto sæculo Jus canonicum commune Gratiani decreto, collectionibus Gregorii IX, Bonifatii VIII et Clementis V, et extravagantibus continebatur.

XLVIII. Præter annotationes illas, quas glossas vocamus, amplioresque in textum lucubrationes, alii quoque scribebantur libri, qui magis a fontium ordine ac ratione recedunt.

Hujusmodi sunt *summae*, in quibus titulorum materies, compendio paucis comprehensa, exponebatur, quæque, licet initio ad id præcipuè destinatæ essent, ut veluti quædam prolegomena explicandis Juris fontibus præmitterentur, deinde tamen magis ad librorum formam elaboratæ sunt. Summas in Gratiani decretum scripsere Sicardus (2); in compilationem primam Bernardus papiensis (3) et Damasus; in Gregorii IX decretalium librum Goffredus tranensis (a. 1245). In his porro lucubrationibus ordinatæ Juris scientiam tractandi rationis initia quærenda sunt, quæ mox ampliora scripta subsecuta sunt, ejusmodi sunt summa Huguecionis de Pisa in decretum, et Henrici cardinalis ostiensis in decretales, præ cæteris verò magnum Gulielmi Durantis opus, quod speculum Juris aut *summa summarum* appellabatur. Ejusdem verò generis ac summæ *distinctiones* erant, quales Ricardus anglus, anno 1190, in decretum, Petrus de Sampsona in decretales a. 1240, et Joannes de Deo in Jus canonicum universum ediderunt.

Publicarum Juris explanationum occasione præter summas aliud quoque scriptorum genus in usum venit, *casus* nempe, uti vocabantur, seu locorum singularium perapte excogitatas causarum forensium circumstantias dilucidationes. Hujusmodi casus Benincasa senensis ad decretum, quos dein Bartholomæus de Brescia emendavit, et ad decretales Gregorii Bernardus compostellanus junior (a. 1245), Joannes de Deo et Gerhardus ticinensis conscripserunt. Aliæ scriptorum origo in scholæ exercitationibus, quas disputationes vocant, quæque determinatis temporibus habebantur, designanda est, cum doctores scriptis exponerent ea quæ in tractandis quæstionibus seu thesibus, aut viva voce proposita fuerunt, aut proponi

(1) De his extravagantibus disserit B. Gul. Bickel in opere, quod inscribitur: de origine et hodierno duarum extravagantium collectionum, quæ in corp. jur. habentur, usu. Marburgi 1825, 8. (Ueber die Entstehung und den heutigen Gebrauch der beyden Extravaganten Sammlungen des corpus Juris canonici.)

(2) Hujus Sicardi in decretum summæ quædam fragmenta habet Sartius in opere de clavis archigymn. Bonon. profess. t. I, p. II, q. 195. Aliam hujusmodi summam in codice quodam moguntino descriptam memorat Savigny l. c. t. III, p. 476.

(3) De hac re videndus est Camus in Notic. et extr. des manuser. de la Biblioth. nation. t. VI, p. 49.

potuissent. Collectæ habentur Damasi, Bartholomæi a Brescia, Joannis de Deo, Jacobi de Baysio aliorumque multorum quæstiones, quæ non rarò ab illis diebus, in quibus earum auctores disputare solebant, nomina mutuatae sunt (1). Materiarum verò, quæ majoris momenti visæ sunt, propriis libris explicabantur (2). Ex tam variis diversisque modis, quibus tunc temporis Juris disciplina tractata atque excolta fuit, facilè apparet, quanto cum animi fervore, quamque intentis mentium viribus litterarum studiis illius ævi homines sese mancipassent.

Cæterum etiam de fontibus ipsis *commentaria* et *lecture*, uti vocabantur, edebantur. Tales scripsere Petrus de Anchorano (a. 1415) et Joannes ab Imola (a. 1436) in collectiones a Gregorio IX, Bonifacio VIII et Clemente V editas; Nicolaus verò (3) de Tudeschis (a. 1443) et Andreas Barbatia siculus in primam ac tertiam compilationem. Joannes deniquè a Turrecremata (a. 1468) totum Gratiani decretum, in suas partes dissectum, ad alium ordinem reducere, et quàm maximè ei quo decretales distributæ erant conformare tentavit. At non omni, quem fortè exspectabat, plausu exceptus est tam ingens labor (4).

XLIX. Eodem tempore eodemque ferè modo, quibus tum novis in dies evulgatis legibus, tum forensi exercitatione Jus canonicum commune ampliatur magis atque excoltum est, in singulis quoque regionibus aut conciliis particularibus, aut synodorum statutis ac civilibus constitutionibus particularia ipsarum jura magis definita et explicata sunt.

In Germania plures editæ fuerunt leges, quæ res ecclesiasticas respiciunt. Sic Friedericus II, a. 1213, auream suam, uti vocant, bullam (5), et a. 1220 duas alias edidit constitutiones, quarum una Ecclesiæ libertatem, altera principum ecclesiasticorum jura sancivit (6); Carolus verò IV, an. 1359 et 1377; itidem duabus aliis legibus eadem jura confirmavit, ampliavitque (7). Leges istæ a pluribus romanis Pontificibus, necnon a concilio constantiensi confirmatæ sunt (8). Sæculo dein XV perturbatis infausto schismate Ecclesiæ rebus, tum præsules, tum principes a Pontificibus magis in dies alienati, propria auctoritate suarum regionum ecclesiis consulere tentarunt; quo factum est ut intra universalis Ecclesiæ limites uniuscujusque nationis ecclesiæ distingui inciperent, et earum quælibet tum antiquorum, quibus gaudebat, privilegiorum aut libertatum, uti vocabantur, confirmationem, tum novorum concessionem postularet. Jam antea quidem diversarum nationum Ecclesiæ in pluribus disciplinæ capitibus diversis utebantur juri-

(1) Nota sunt dominicales et veneriales Bartholomæi a Brescia, et mercuriales Andreae.

(2) Hujus generis sunt opera, quæ Richardus anglus, Petrus hispanus, Tancredus, Joannes de Deo, Ægidius foscariarius de ordine judiciario ediderunt; dein summa de electionibus a Bernhardo compostellano seniore, et a Gulielmo de Mandagoto conscripta.

(3) Nicolaus hic ex Sicilia oriundus, abbas et deinde Archiepiscopus panormitanus, siculus, abbas et panormitanus vocatur. Ejus opera IX voluminibus in fol. typis excusa sunt quorum VII illa commentaria continent.

(4) Hoc opus typis excusum est sub titulo: Decretorum libri V, secundum gregorianos decretalium libros titulosque distincti per Joannem a Turrecremata, ordinis prædicatorum S. R. E. Episcopum cardinalem sabinum nunc primum prodeunt ex codice bibl. barberinæ, præfatione, brevibus scholiis, et quatuor indicibus illustrati cura Justi Fontanini Archiepiscopi ancyran. Romæ, 1727, fol.

(5) Apud Goldastum, in collect. constitut. imperialium, t. I, p. 289-291, tom. IV, pag. 73.

(6) Apud Goldastum, loc. cit. t. IV, p. 75, et Senkenberg, Nova collect. recessum imperii (Neue Sammlung der Reichsabschiede), t. I, p. 14.

(7) Apud Goldast. l. c., t. II, p. 92.—t. III, p. 415.

(8) Apud Goldast. l. c. t. II, p. 95-106.